AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 101r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Ecce rex uester. Illi autem clamabant. Tolle. tolle. crucifi
ge eum. Dicit eis pilatus. Regem uestrum crucifigam. Respon
derunt pontifices. Non habemus regem. nisi cesarem. Tunc ergo
tradidit eis illum. ut crucifigeretur. Hec narrauit iohannes
per pilatum gesta. Consequens est etiam ut ipsam domini passionem
secundum iiii. euangelistarum testimonia uideamus. quam matheus
sic incipit. Tunc milites presidis suscipientes ihesum in pre
torium congregauerunt aduersus eum uniuersam cohor
tem. & exuentes eum clamidem coccineam circumdederunt ei.
& plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. & arun
dinem in dextera eius. & genuflexo ante eum illudebant
dicentes. Aue. rex iudeorum. hoc marcus in eodem loco narrationis
ita dicit. Milites autem duxerunt eum intro in atrium pretorii.
& conuocant totam cohortem. & induunt eum purpura.
& imponunt ei plectentes spineam coronam. & ceperunt salu
tare eum. Aue. rex iudeorum. Et percutiebant caput eius harun
dine. & conspuebant eum. & ponentes genua adorabant
eum. Intelligitur itaque quod matheus ait clamidem coccineam
circumdederunt ei. hoc marcus dixisse indutum purpura.
Pregia enim purpura clamis illa coccinea ab illudentibus
adhibita est. & est rubra quedam purpura cocco simillima.
Potest etiam fieri ut purpuram etiam marcus commemoraue
rit. quam clamis habebat quamuis esset coccinea. Lucas hoc
pretermisit. Iohannes autem antequam diceret. quod eum pi
latus crucifigendum tradiderit commemorauit hoc dicens.
Tunc ergo apprehendit pilatus ihesum. & flagellauit. Et milites
plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius. & ueste pur
purea circumdederunt eum. & ueniebant ad eum & dicebant.
Aue. rex iudeorum. Et dabant ei alapas. Unde apparet matheum